



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. vj. De proprietatibus generalibus vniuersalium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

animal rationale. Deinde nego vniuersalia inuicem distingui per solam comparisonem, quamvis explicari propriè nequeat à nobis eorum distinctio sine comparatione. Imò vniuersalia neque constituuntur, neque distinguuntur per abstractionem, aut per comparisonem, sed per diuersam aptitudinem essendi in inferioribus; quæ aptitudo fit quidem per abstractionem, sed non est abstractio vel comparatio.

SECTIO V.

De proprietatibus generalibus vniuersalium.

Explicatà existentia & essentia vniuersalium, sequuntur duæ proprietates, de quibus est controuersia. Prima est eorum realitas: secunda prædicabilitas. Quomodo autem vniuersale sit obiectum scientiæ, satis videtur dictum in disputatione de scientia. Quomodo sit ingenerabile & incorruptibile secundum naturam substratam vniuersalitati, constat ex disputatis de conceptu entis.

§. I.

Utrum vniuersale sit ens reale.

Materialis vniuersalis, id est natura, quæ denominatur vniuersalis, sine dubio est realis, cum sit ipsamet natura indiuiduorum; sed difficultas est, utrum vniuersalitas actualis, quæ non conuenit naturæ nisi per intellectum, sit reale illius accidens, an verò accidens dumtaxat fictum; si enim sit reale accidens, natura ut vniuersalis formaliter erit ens reale; si autem sit accidens fictum, natura formaliter ut vniuersalis erit ens rationis.

Prima dubit. Ratio verò dubitandi primò est, quia illud est ens rationis, quod habet tantum esse in intellectu: vniuersale habet tantum esse obiectiue in intellectu: ergo vniuersale est ens rationis. Probatur minor. Illud habet tantum esse obiectiue in intellectu, quod non est nisi dum cognoscitur, seu cuius totum esse est cognosci, & obiecti intellectui: sed vniuersale non est nisi dum cognoscitur, & totum eius esse est cognosci: ergo vniuersale habet tantum esse obiectiue in intellectu.

Secunda. Secundò vniuersale nec est, nec esse potest à parte rei: ergo est verum ens rationis, & habet tantum esse obiectiue in intellectu.

Tertia. Tertio tunc fit ens rationis, quando res aliter concipitur quàm sit, & quàm esse possit, assignando illi aliquid quod non habet: sed quando natura fit vniuersalis, necessariò concipitur aliter quàm sit, vel esse possit, assignando ei aliquid: ergo fit ens rationis. Probatur minor. Quando fit vniuersale, natura concipitur vna & apta ut sit in pluribus, cum tamen à parte rei nec sit, nec esse possit vna & apta inesse pluribus: ergo cum fit vniuersale, concipitur res aliter quàm sit, assignando ei aliquid. Confirmatur, quia natura nec est, nec esse potest sine singularitate: quando fit vniuersale, natura cogitatur sine singularitate: ergo natura cogitatur aliter quàm sit, vel esse possit.

Conclusio affirmans. Dico primò, vniuersale formaliter sumptum esse ens omnino reale, neque necesse villo modo esse, ut in eo fabricando fiat ens rationis. Aduersantur cum S. Thom. & Caietan. Suarez, Vasquez, & plerique Recentiores.

Probatio. Ratio tamen est, quia duobus modis potest aliquid esse ens reale alicuius naturæ. Primò ita ut sit intrinsecè in illa: secundò ita ut extrinsecè tan-

tum illam denominet, ut cum natura dicitur cognita esse, vel abstracta, cognitio accidens est reale illius naturæ, sed extrinsecum tantum. Similiter duobus modis aliquid esse potest per intellectum: primò per intellectum cogitantem aliquid, quod non est; ut cum cogitatur chimæra: secundo per intellectum denominantem extrinsecè; ut hominem esse cognitum est per intellectum, id est pender ab intellectu, non quidem aliquid fingente, sed extrinsecè tantum denominante hominem.

Vnde

Argumentor. Vniuersale non est ens rationis, sed est verè reale, si operatio quæ fit vniuersale, nihil fingat, quod reuerà non sit; sed extrinsecè tantum denominet naturam cognitam, & abstractam: sed operatio quæ fit vniuersale, nihil fingit quod non sit à parte rei, sed extrinsecè tantum naturam denominat cognitam & abstractam. Non cogito naturam esse in singularibus à parte rei; sic enim aliquid fingerem; sed tantum cogito naturam non cogitatis singularibus, ubi nulla est fictio. Vnde dixit Philosophus, abstractiuentium non esse mendacium, quia dum concipiunt vnum alio non concepto, nihil fingitur: ergo vniuersale non est ens rationis, sed ens verè reale.

Ad primam respondeo, negando quod vniuersale habeat tantum esse obiectiue in intellectu; quod probo, quia habere esse obiectiue in intellectu, est cognosci ab intellectu: sed vniuersale reuerà est, quamvis non cognoscatur ab intellectu; natura enim humana verè abstracta est, etiam si non cognoscatur ab intellectu, quod illa sit abstracta; sicut homo est reuerà cognitus, quamvis nullus cognoscat illum esse cognitum, licet ille non sit cognitus, si nullus intellectus cognoscat hominem: eodem enim modo natura est verè vniuersalis, licet nullus intellectus cognoscat vniuersale, sed tantum cognoscat naturam, non cognitatis singularibus: igitur vniuersale non necessariò habet esse obiectiue in intellectu. Vnde ad probationem distinguitur minor: sed vniuersale non est nisi dum cognoscitur natura sine singularibus, totum esse illius est cognosci, non cognitatis singularibus, concedo; vniuersale non est nisi dum cognoscitur ipsum vniuersale, totum esse illius est cognosci vniuersale, nego. Verum enim est, quod natura cognoscitur dum abstrahitur & fit vniuersalis; falsum est quod necessariò cognoscatur ipsum vniuersale.

Instabis primò, ut aliquid ens rationis habeat tantum esse obiectiue in intellectu, non est opus ut cognoscatur, quod illud sit ens rationis: ergo ut vniuersale habeat esse obiectiue in intellectu, non est opus ut cognoscatur formaliter vniuersale.

Respondeo negando consequentiam, quia in vniuersali sunt duo, natura realis & vniuersalitas: ut vniuersale, quatenus vniuersale habeat esse obiectiue in intellectu, non sufficit ut cognoscatur natura, sed cognosci etiam debet vniuersalitas, per quam denominatur vniuersale. Igitur, ut aliquid sit ens rationis, requiritur ut id quod denominatur ens rationis, cognoscatur ab intellectu, & in eo habeat tantum esse obiectiue. At verò id quod denominatur vniuersale, scilicet natura, non habet tantum esse obiectiue in intellectu.

Instabis secundò. Natura quæ denominatur vniuersalis, prout denominatur vniuersalis, habet tantum esse obiectiue in intellectu: ergo quatenus denominatur vniuersalis est ens rationis.

Respondeo

Quaest. III. Sect. V. Proprietates vniuersal. 661

S. II.

An, & quomodo vniuersale sit predicabile.

Respondeo negando primò antecedens, quia vt natura, quatenus denominatur vniuersalis, haberet esse obiectiue in intellectu, deberet cognosci quatenus est vniuersalis; non cognoscitur autem vt sic. Deinde falsa est etiam consequentia, quia vt aliquid sit ens rationis, non sufficit vt habeat tantum esse obiectiue in intellectu reduplicatiue vt cognitum, sed specificatiue sumptum debet habere tantum esse in ipso intellectu. Eito verum sit, quod natura vniuersalis, prout vniuersalis reduplicatiue, habeat tantum esse obiectiue in intellectu; tamen hoc non sufficit ad ens rationis, alioqui quidquid concipitur, esset ens rationis.

Solutio secundae dubitat. Ad secundam respondeo vniuersale reuera esse à parte rei extrinsecè & denominatiue, quamvis non sit intrinsecè in rebus; quia vniuersalitas est solum denominatio extrinseca ab operatione intellectus; & naturam esse vniuersalem nihil aliud est, quam naturam esse abstractam. Cum ergo dicitur vniuersale non esse nisi per intellectum, distingui debet; non est nisi per intellectum extrinsecè denominationem, concedo; non est nisi per intellectum cogitantem aliquid quod non est in re, nego.

Solutio tertiae. Ad secundam respondeo sepius dictum esse, quod non sufficit ad ens rationis concipere rem aliter quam sit non cogitando totum quod est in re; sed requiritur vt cogitet aliquid quod non est in re. Distinguitur ergo hæc minor: sed quando sit vniuersale, cogitatur natura aliter, quam sit; vel esse possit, non concipiendo totum quod habet naturam, concedo; asserendo aliquid naturæ, quod non habeat extrinsecè ac denominatiue, nego. Natura enim illa licet intrinsecè non sit vna & apta inesse pluribus, extrinsecè tamen & denominatiue vna est, & apta, quia extrinsecè ac denominatiue abstracta est. Similiter ad confirmationem distinguitur antecedens: natura nec est, nec esse potest intrinsecè in seipsa sine singularitate, concedo; non potest esse denominatiue ac extrinsecè sine singularitate, nego.

Prima instantia. Instabis primò: ergo chimæra erit ens reale, quia per denominationem extrinsecam ab intellectu est ens reale eo modo quo natura extrinsecè denominatur vna per intellectum.

Respondeo naturam esse vnam per denominationem tantum extrinsecam, cui nulla fictio est iuncta; chimæram verò realem non esse, quia existit per denominationem extrinsecam, cui iuncta est fictio, cui scilicet iungitur aliquid, quod non est in re. Propterea realis extrinseca, quæ chimærae tribuitur, ficta est. Vnitas autem extrinseca naturæ realis est.

Secunda instantia. Instabis secundò: id quod est intrinsecè in seipso multiplex, non potest dici vnum nisi per fictionem: sed natura est intrinsecè in seipsa multiplex; ergo natura non potest dici vna, nisi per fictionem.

Respondeo distinguendo maiorem: quod est intrinsecè in seipso multiplex, non potest dici vnum intrinsecè nisi per fictionem, concedo: non potest dici extrinsecè vnum, nego: natura vniuersalis non dicitur vna intrinsecè, sed extrinsecè, sicut paries extrinsecè denominatur visus. Similiter si dixeris, vnitas & aptitudo non habent esse realiter in natura: ergo habent tantum esse obiectiue in intellectu, distingui debet antecedens: vnitas & aptitudo non habent esse realiter intrinsecè in natura, concedo; non habent esse realiter extrinsecè ac denominatiue, nego.

R.P. de Rhodes curs. Philosoph.

Predicabilitas vniuersalis est aptitudo naturæ vniuersalis, vt affirmetur de suis inferioribus; quia vniuersale actu prædicari nihil aliud est, quam illud affirmari de inferioribus; prædicari enim de altero est alteri tribui: vnde prædicatum in propositione dicitur illud quod alteri tribuitur; subiectum id cui aliquid tribuitur: ergo esse prædicabile, est posse alteri tribui, seu de altero affirmari. Vel etiam prædicari aliquid de aliquo, est aliquid reddi alteri à quo per mentem fuerat abstractum: nam antequam dicam, *Homo est animal*, necesse est vt animal abstraham ab homine, alioqui esset propositio identica: si ergo animal abstractum ab homine prædicem de homine, animal reddam homini; si autem animal ita maneat abstractum, neque reddatur homini, non erit quidem prædicatum, sed prædicabile.

Circa prædicabilitatem ergo vniuersalis duo possunt controuerti: primò, vtum illa reuera conueniat vniuersali, & vtum sit eius essentia, an verò eius proprietas: secundò vtum actualis prædicatio destruat ipsam vniuersalitatem.

Ratio verò dubitandi primò sit, quia videtur omnino quod vniuersale nunquam est proximè prædicabile; quia vt aliquid sit proximè prædicabile de aliquo, debet actu esse in illo: vniuersale non est actu in inferioribus: ergo non est de illis proximè prædicabile. Imò natura non habet à parte rei aptitudinem vt sit in multis: ergo natura non potest nisi falso affirmari de multis.

Secundò, si vniuersale est prædicabile, videtur quod debet prædicari secundum vniuersalitatem, sine prout est vniuersale. Illud enim est prædicabile de multis vt sic, quod est aptum inesse multis vt sic: sed aggregatum ex natura & vniuersalitate aptum est inesse multis vt sic: ergo aggregatum ex natura & vniuersalitate vt sic est prædicabile de multis. Imò vniuersale, quia vniuersale, est prædicabile: ergo prædicabilitas conuenit naturæ ratione vniuersalitaris. Deinde vniuersale prædicatur vt aliquid superius & communius: ergo prædicatur vt vniuersale; non enim est superius, si adæquatur. Denique si vniuersale non prædicatur secundum vniuersalitatem, hæc duæ propositiones idem sonant, *Petrus est homo, & Petrus est hic homo*; nam in veraque prædicatum erit singulare.

Tertio videtur, quod prædicabilitas non est proprietas vniuersalis, sed vera eius essentia: nam aptitudo essendi in multis per intellectum est essentia vniuersalis, non autem eius proprietas; sed aptitudo essendi in multis per intellectum est prædicabilitas: ergo prædicabilitas est essentia vniuersalis, non autem eius proprietas. Maior evidens est, nam aptitudo essendi in multis non conuenit naturæ realiter & intrinsecè: ergo conuenit illi tantum per intellectum.

Quarto sicut præmissæ determinant intellectum ad conclusionem, ita etiam abstractio reddit intellectum potentem ad prædicationem vniuersalis: sed præmissæ reddunt essentialiter intellectum potentem ad assensum conclusionis: ergo abstractio reddit essentialiter intellectum potentem ad prædicationem vniuersalis.

Dico secundò, omne vniuersale necessariò directè esse prædicabile de multis quoad naturam vniuersalitatis substratam, non quoad ipsam vniuersalitatem.

Prima pars certa est apud omnes, quia quod est aptum, vel quod potest esse in multis, potest etiam tribui multis, & de illis affirmari; quod est

Quid sit esse prædicabile.

Quadruplex ratio dubitandi.

Conclusio bimembra.

Prædicabilitas conuenit vniuersali.

K K K

posse

posse prædicari: natura vniuersalis potest esse in multis: ergo manifestum est, quod de illis etiam potest prædicari, quia prædicari sequitur esse. Dixi verò prædicari posse directe, quod non conuenit inferioribus ratione superiorum; nam cum dicitur, *Animal est homo*, prædicatio est indirecta, ut patet ex Logica. Solum vniuersale prædicatur directe de inferiori, ut *Petrus est homo*.

Secundū
solam na-
turam.

Secundæ partis sensus est, quod vniuersale non ita est prædicabile de inferioribus, quod ipsa vniuersalitas tribui possit inferioribus; sed quod materiale vniuersale possit de illis affirmari, natura scilicet ipsa realis, quæ dicitur vniuersalis.

Ratio est, quia illud solum prædicari potest de multis, quod solum esse potest in multis: sed sola natura, non autem vniuersalitas, esse potest in multis: ergo sola natura est prædicabilis, non autem vniuersalitas. Deinde propositiones hæc falsæ sunt, *Petrus est species humana; Homo est genus*: ergo vniuersalitas non prædicatur de inferioribus, sed sola natura. Præterea prædicatum & subiectum ita debent adæquari, ut vnum non pateat latius quam alterum, quia copula est, significat identitatem subiecti & prædicati: sed si vniuersale est prædicabile de inferioribus secundum vniuersalitatem, prædicatum patet latius quam subiectum; cum enim diceretur *Petrus est homo*; sensus esset, *Petrus est homo vniuersalis, siue omnis homo*.

Non est
essentia
vniuersa-
lis.

Dico tertio, prædicabilitatem vniuersalis non esse illius essentiam, sed veram eius proprietatem. Contrarium censent Scotus q. 15. Hartadus, & pauci Recentiores.

Ratio autem est, quia illa non est rei alicuius essentia, quæ non est primus eius conceptus: sed posse per intellectum affirmari de inferioribus non est primus conceptus vniuersalis: ergo illa non est eius essentia, sed proprietas. Probatur minor. Prius est vniuersale posse inesse multis realiter, quam posse affirmari per intellectum, quod sit realiter; idem enim verè potest affirmari, quia est: ergo posse affirmari non est primus conceptus rei. Neque dicas aptitudinem essendi per intellectum esse prædicabilitatem; sic enim vrgeo. Prius est aliquid per seipsum realiter posse inesse, quam posse affirmari realiter inesse: natura vniuersalis affirmatur inesse multis realiter, non affirmatur inesse multis per intellectum; quis enim dixit, *Petrus est homo per intellectum*: ergo prius est quod natura possit inesse realiter, quam quod possit intellectus affirmare quod illa inest.

Solutio
primæ du-
bitat.

Ad primam respondeo distinguendo illam maiorem: ut aliquid sit proximè de aliquo prædicabile, debet actu in illo esse, ut sit proximè prædicabile secundum existentiam, concedo; ut sit proximè prædicabile secundum essentiam, nego. Tunc aliquid prædicatur secundum essentiam, quando copula est, significat solam identitatem prædicati & subiecti, ut si dicam, *Petrus est homo*. Tunc prædicatur secundum existentiam, quando copula est, significat quod actu existit, ut cum dico, *Petrus est albus*. Denique satis dictum est, quod natura vniuersalis, licet intrinsecè non habeat à parte rei aptitudinem essendi in multis, habet tamen illam à parte rei extrinsecè.

Solutio
secundæ
dubitatur.

Ad secundam respondeo aggregatum ex natura & vniuersalitate aptum esse ut sic inesse multis secundum naturam, non autem secundum vniuersalitatem, & eo etiam modo esse prædicabile de multis; idem prædicabilitas conuenit vniuersali propter vniuersalitatem, quamvis non sit prædicabile secundum vniuersalitatem. Illæ propositiones, *Petrus est homo*, & *Petrus est hic homo*, sunt diuersæ,

A quamvis neutra significet Petrum esse hominem vniuersalem; sed quia quando dicitur, *Petrus est homo*, prædicatum sumitur in significatione confusa; quando dicitur, *est hic homo*, prædicatum sumitur in suppositione determinata, id est significat singularitatem determinatam, quam explicitè non significat in altera. Denique distinguo illam propositionem: vniuersale prædicatur ut aliquid superius & communius, ita ut quando prædicatur, maneat superius & communius, nego; quia tunc potius adæquantur; prædicatur ut aliquid quod antequam prædicaretur, factum necessario est communius & superius, concedo.

Ad tertiam respondeo, posse duobus modis explicari aptitudinem essendi in multis, quæ vniuersalium propria est, primò ut sit aptitudo naturæ ut sit in multis per seipsam; secundò ut sit aptitudo essendi in multis per affirmationem intellectus: neutra conuenit intrinsecè ipsi naturæ à parte rei, sed utraque tamen conuenit illi per denominationem ab intellectu abstrahente; nam aptitudo essendi in multis per seipsam conuenit abstracte, non autem naturæ per seipsam existenti à parte rei; neque tamen confundi debet cum aptitudine essendi in multis per affirmationem. Vnde ad argumentum sic distinguitur maior: aptitudo essendi in multis per intellectum est essentia vniuersalis; aptitudo essendi in multis per seipsam, quæ conuenit naturæ per abstractionem, est essentia vniuersalis, concedo; aptitudo essendi per prædicationem, quæ conuenit naturæ per abstractionem, est essentia vniuersalis, nego. Aptitudo autem essendi per seipsam non est prædicabilitas, sed aptitudo essendi per affirmationem.

Ad quartam nego illam maiorem: sicut præmissæ determinant intellectum ad conclusionem, sic abstractio reddit intellectum potentem ad prædicationem vniuersalis. Ratio disparitatis est, quia præmissæ respiciunt primariò conclusionem ipsam formaliter; abstractio concomitanter & secundariò respicit prædicationem vniuersalis; primariò autem conuenientiam vniuersalis per seipsam; ex quo sequitur ut possit conuenire per affirmationem intellectus.

D

S. III.

Vtrum actualis prædicatio destruat vniuersalitatem.

Dixi vniuersale adiunctam habere prædicabilitatem de suis inferioribus; nunc controuertitur, vtrum ita sit prædicabile, ut desinat esse vniuersale, quando actu prædicatur de inferioribus, præsertim singularibus. Video enim hoc à multis negari, ab aliis verò affirmari.

Ratio dubitandi contra partem affirmatiuam primò est, quia dum vniuersale actu prædicatur de multis, manet semper una ratio indiuisa obiectiui, siue vnus conceptus obiectiui: ergo vniuersale seruat suam vnitatem, etiam dum actu prædicatur. Secundò hæc prædicatio, *Omni homo est animal*, est prædicatio vniuersalis: ergo vniuersale dum actu prædicatur, seruat semper suam vniuersalitatem.

Tertio illud non est prædicabile, quod destruitur, si prædicatur: vniuersale est prædicabile: ergo non destruitur si actu prædicatur.

Dico quartò, totam vniuersalitatem necessariò destruere, quoties vniuersale prædicatur actu de singularibus, aut etiam de minus communibus. Antequam probetur.

Obserua, prædicatū vniuersale posse attribui vel subiecto singulari, ut, *Petrus est homo*; vel subiecto minus

minis communi, ut omnis homo est animal; vel subiecto æquæ communi, ut omnis homo est animal rationale. Sensus conclusionis est, quod vniuersale omnino amittit vniuersalitatem quoties attribuitur subiecto singulari: si subiecto minus communi, habet illam ipsam vniuersalitatem, quam habet subiectum; ut animal si prædicetur de homine, non est genus, sed species. Cum autem prædicatur de subiecto æquæ communi, seruat vniuersalitatem.

Eius probatio.

Ratio ergo est, quia in omni prædicatione prædicatum & subiectum debent adæquari, adeo ut vnum non pateat latius quam alterum: sed subiectum prædicationis singularis est singulare: ergo prædicatum illius prædicationis, cuius subiectum est singulare, non est vniuersale, sed singulare: ergo in omni prædicatione, quæ vniuersale prædicatur de singulari, necesse est destrui ipsam vniuersalitatem. Deinde si vniuersale maneret vniuersale dum prædicatur de singulari, quoties dicitur, *Petrus est homo*, sensus esset, *Petrus est homo vniuersalis*; atque adeo, *Petrus est omnis homo*: ergo vniuersale destruitur per actualem prædicationem. Unde commune illud axioma manauit, quod communitas vniuersalis non descendit ad inferiora. Præterea certum est, quod vniuersale, ut maneat vniuersale, debet esse abstractum à singularibus: sed actualis prædicatio tollit abstractionem, quia prædicare nihil aliud est quam reddere id quod erat abstractum ei à quo erat abstractum: ergo vniuersalitas tollitur per actualem prædicationem.

Solutio primæ dubitæ.

Ad primam respondeo negando manere rationem naturæ obiectiue vnæ, quando illa natura prius abstracta prædicatur de multis; cum enim prædicatur de pluribus, tribuitur illis pluribus, idcirco non est amplius vnus conceptus obiectiuius. Imò non potest intellectus verè affirmare illam eandem naturam de Petro, quam affirmat de Paulo; sed necessariò affirmat diuersam. Denique natura, quæ est vniuersalis, est natura omnium hominum: sed natura quæ affirmatur de Paulo, natura est solius Pauli, non autem omnium hominum: ergo non est vniuersalis. Neque dicas naturam, quæ affirmatur de Petro, esse obiectiue naturam omnium hominum, non autem realiter. Contrà enim est, quia tunc natura non manet obiectiue natura omnium hominum per abstractionem, quando tollitur abstractio: sed per prædicationem tollitur abstractio: ergo in actuali prædicatione natura non manet obiectiue natura omnium hominum.

Solutio secundæ.

Ad secundam patet ex dictis in explicatione conclusionis, quod vniuersale potest seruari vniuersalitatem quando actu prædicatur de alio vniuersali æquè latè patente, ut si dicam, *Homo est animal rationale*; tunc enim prædicatum & subiectum adæquantur. Verum est quod prædicatum propositionis sumitur semper in suppositione confusa, quoties illa non conuertuntur: si autem conuertantur, verum non est.

Solutio tertiæ.

Ad tertiam nego illam maiorem. Illud non est prædicabile, quod destruitur si prædicetur; totum enim continuum bipalmare est diuisibile in partes; quod tamen si diuidatur, destruitur: definit videlicet esse bipalmare, si duo palmi sint diuisi. Vniuersale autem esse vniuersale non aliud est, quam illud esse tantum quoddam diuisibile in plura inferiora, in quibus singulis totum reperiatur.

Colliges ex his, quomodo vniuersale fieri possit non solum per primam, sed etiam per secundam & tertiam operationem; sit enim per secundam & tertiam prædicatum & subiectum sint vniuersalia: sit per

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

A discursum, si propositiones sint vniuersales.

De vniuersalibus in particulari, quæ possent hic desiderari, plenè tractata sunt in secunda disputatione logica, vbi egi de directione primæ mentis operationis.

QVÆSTIO IV.

De variis rerum distinctionibus.

Ad plenam vnitatis intelligentiam, de qua dixi hæc, requiritur necessariò notitia distinctionis, quæ opponitur vnitati; præsertim cum rei cuiuslibet essentia, & vnitatis tunc rectè determinetur, cum scitur distinctio rei à qualibet alia re; unde vulgò dicitur, quod idem est rei alicuius principium distinctiui, quod est eius constitutiui. Sunt autem quatuor de rerum distinctionibus scitu digna. Primò quid propriè sit, & quibus signis dignosci possit distinctio realis, quæ dicitur distinctio rei à re. Secundò, vtrum præter distinctionem rei à re debeat etiam admitti distinctio alia minor, quæ appellari solet modalis. Tertiò, vtrum admittenda etiam sit alia distinctio ante operationem intellectus, quæ dicitur ex natura rei. Quartò, vtrum admittenda etiam sit distinctio rationis. De alia distinctione, quam appellant virtualem, satis dictum est in tractatu de Deo.

SECTIO VNICA.

C Quid sit, & quibus signis dignosci possit distinctio verè realis.

Vulgò dicitur, signum distinctionis huius esse, quod duo possint separata existere simul, vel certè quod eorum alterum existere possit, altero non existente in rerum natura, quod etiam possit existere sine illo.

Ratio tamen dubitandi esse potest, quia debet dari conceptus aliquis distinctionis, qui sit communis Deo, & creaturis: sed mutua illa separabilitas, & existentia vnus sine altero, non est conceptus distinctionis, qui conuenire possit Deo & creaturis: ergo ille non est conceptus verus distinctionis.

Triplex diuinitas.

D Primò enim essentia Dei non distinguitur realiter à personaliitate ipsius Patris, & illa essentia communicatur Filio, non communicata personaliitate Patris, atque adeo separatur à personaliitate Patris: ergo potest aliquid esse separabile, quod tamen non est distinctum realiter.

Secundò tres personæ sanctissimæ Trinitatis distinguuntur realiter; & tamen implicat ut illæ inuicem vllò modo separentur: ergo separabilitas non est character proprius realis distinctionis.

Tertiò dependentia creaturæ à Deo distinguitur à creatura; & tamen creatura existere nullo modo potest sine dependentia; neque dependentia existere potest sine creatura dependente: ergo separabilitas non est signum necessarium ad realem distinctionem.

Dico primò, vbiunque reperitur mutua separabilitas, ibi necessariò est realis distinctio; quamvis sine mutua separabilitate, præsertim in diuinis, reperiatur huiusmodi distinctio.

Ratio euidentis est, quia vbi est pluralitas entitatum realium, ibi est distinctio illa, quæ appellatur maioris realitatis: sed vbi est separabilitas mutua, ibi est vera pluralitas entitatum realium; nam vtrique realiter sine altera existit, atque adeo est altera entitas ab entitate alterius: ergo vbi est mutua separabilitas, ibi est distinctio realis maior.

KKk z Sed